

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorum Opusculorum

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm, Aliarvmqve Observationvm ...)

Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX.
Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

Beyschlag, Friedrich Jakob

Halae Suevorum, M.DCC.XXIX

VI. Nova Literaria cum observationibus variis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16134

VI.
NOVA LITERARIA
cum observationibus
variis.

NORIMBERGAE.

L Vcem nuper admodum vidit Actorum Eru-
ditorum & Curiosorum Franconiae,
germanica lingua editorum, Pars Sexta, in cuius
Sectione septima, p. 417. sqq. Ioan. Sebastiani
Stedleri, in Academia Equestri Christian-Er-
langensi, Mathematicum Professoris, Tractatio
copiosa magni Problematís de inveniendâ Lon-
gitudine maris, ex MS. recensetur. In huius
capite V. (l. c. p. 431.) de Observationibus Astro-
nomicis Simonis Marii, qui A. 1609. Mundum
Iovialem detexit, docte agit auctor clarissimus.
Annotarunt tamen iam alii non contemnenda
de Sim. Mario, inter quos precipue mihi no-
minandus venit Georgius Paschius, cuius de In-
ventis Novis Cap. VII. §. VII. p. 534. sq. edit.
auctioris, evolvi meretur. Cum aliquando ami-
ci beneficio Simonis Marii scriptum, raro hodie
occurrrens, curioso oculo inspexerim, iuvabit
eius excerpta nonnulla cum L. B. communicare.

Mun-

*Mundus Iovialis Anno M. DC. IX.
detectus ope perspicilli Belgici. h. e. Quatuor Iovialium Planetarum, cum theoria, tum inventore & authore tabula. &c.*

SIMONE MARIO Guntzenhusano,
Marchionum Brandenburgensium in Franconia Mathematico, puriorisque
Medicinæ Studioſo.

*Sumptibus & typis Io. Lauri, Civis & Bibliopola
Noribergensis M. DC. XIV. 4t.*

Constat 6. plag. præter proluxâ præfationem.

Dedicationem ad Marchiones Brandenburgenses, Christianum, & Ioachimum Ernestum, fratres, scripsit Marius Onoltzbachii ex suo Observatorio Astronomico, d. 18. Feb. 1614.

Præfatio 4. folia cum dimidio efficit, post quæ ipsius Marii Effigies sequitur, habitu Mathematico, cum superne posita Epigraphe:

Simon Marius Guntzenh. Mathematicus & Medicus Anno M. DC. XIV. Ætatis XLII.

infra scriptum est:

Inventum proprium est: Mundus Iovialis, & orbis

Terræ secretum nobile, dante Deo.

Ex

Ex præfatione, in qua Marius historiam huius sui inventi exponit, sequentia duxi excerpenda; sic autem illa incipit:

Constitueram apud me, candide lector, pluribus in hac præfatione tecum agere, & de iis omnibus, quæ hætenus per Instrumentum Belgicum, vulgo perspicillum vocatum, à me in Sole, Luna ceterisque Sideribus, atque adeo in toto Cœlo observata sunt, longam orationem instituere, prout diversis in locis huius libelli videre licet &c. (*sed alia vice id præstare se velle addit.*) In sequentibus nunc, quando & quomodo in cognitionem & usum huius instrumenti inciderim, paucis explicabo.

A. 1608. quando celebrabantur Nundinæ Francofurtenses Autumnales, versabatur etiam ibidem Nobilissimus, Fortissimus, maximeque strenuus Vir, Ioh. Phil. FVCHSIVS de Bimbach in Möhrn, Dominus & Eques Auratus, intrepidus belli Dux &c. Illustrissimorum meorum Principum Consiliarius intimus, totius Matheseos, aliarumque similium scientiarum non saltem fautor & amator, sed & cultor maximus. (Hic Fuchsius Belgam quendam illius instrumenti inventorem ad se accersivit, quo mediante instru-

strumento remotissima quæque obiecta, quasi proxima essent, intueri liceret. Belga magnam pecuniæ summam pro simili instrumento conficiendo, ob alia intervenientia, poposcit, sed infectis rebus Fuchsius Onolzbachium rediit, idq; Mario ad se vocato retulit. Interim divulgabantur in Belgio eiusmodi perspicilla, & transmittitur unum satis bonum, quo valde delectabantur, quod factum est in æstate A. 1609. Cœpit ergo per illud apud Virum Nobiliss. observare cœlum ac sidera, interdum domum id portare Mario licebat, præsertim circa finem Novembris. Tum primum ait se aspexisse Iovem, qui versabatur in opposito Solis, & deprehendisse stellulas exiguas, modo post, modo ante Iovem in linea recta cum Iove, id quod & per Decembrem factum sit, primamque observationem annotavit Marius d. 29. Decembris. Interim missa esse è Venetiis duo vitra egregie polita, convexum & concavum; hinc usq; in 12. Ian. 1610. se observatt. instituisse; tandem circa finem Februarii & initium Martii de certo numero horû siderum omnino se confirmatum esse.) A decimo tertio Ianuarii usque in 8. Februar. inquit, fui,

Tom. I. Fasc. II.

F f

HALAE

HALAE SUEVORVM, (*) & instrumentū domi reliqui, veritus ne in itinere damnum aliquod acciperet Domum reducem consuetas observatt. se resumisse, postquam Fuchsius plenam instrumenti copiam sibi fecisset.

Hanc esse historiam verissimam: non enim de tanto viro, vivo, præsente, sic in publico scripto mentiri impune sibi licere, ut qui non saltem ob stemma Nobiliss. & antiquissimum, sed etiam inprimis ob res fortissime gestas, heroica facta, & summam belli peritiam, per Galliam, Hungariam, Belgium & Germaniam sit celeberrimus. Ideo quicquid hac in parte à se observatum, elaboratum & iam publici iuris esset factum, illud totum huic Excellentiss. & Nobiliss. Viro, Patrono & Promotori suo colendo acceptū se referre. Non autē, addit, hæc a me eo recensentur, quasi ego existimationem Galilæi extenuare & inventionem horum siderum Iovialium apud suos Italos ipsi præripere velim, neutiquam, sed potius ut intel-

(*) Etiam huic patriæ meæ suavissimæ nonnihil gloriæ ex hoc Mariano Invento potuisset accedere, si quidem Marius observationibus suis Astronomicis in hoc quoque secessu Halensi animum adiecisset.

intelligatur, hæc sidera a nullo mortalium mihi ulla ratione commonstrata, sed propria indagine sub ipsissimum fere tempus, vel aliquanto citius, quo Galilæus in Italia ea primum vidit, à me in Germania adinventæ & observata fuisse. „ Merito igitur Galilæo tribuitur & manet laus primæ inventionis horum siderum apud Italos. An autem inter meos Germanos quispiam ante me ea invenerit & viderit, hætenus intelligere non potui „ (Galilæo deinde gratias agit Simon Marius pro publicatione sui Nuncii siderei, additque:) „ In primis a. ipsius (Galilæi) observationes mihi utiles fuere, quia comet ipso quasi tempore factæ sunt, quo ego HALAE SUEVORVM fui, & ab observationibus vacavi. „ In Tractatu ipso Lit. C. 3 dicit Marius, se hyeme, quæ erat inter 1595. & 1596. adhuc in Schola Sacrifontana fuisse. v. Acta Philos. T. III. 400. 806

Ibidem FRIDERICVS ROTH-SCHOLTZIVS, Herrenstadio-Silesius, Civis & Bibliopola Norimbergensis & Altdorfinus solertissimus, iam superiore anno epistolam invitatoriam ad *Bibliopolas & Typographos*, unica plaga in folio publicavit, qua ipsis

Ff 2

signi-

significat propositum suum publicandi *Icones Bibliopolarum & Typographorum de Republica Litteraria optime meritorum, ab Incunabulis Typographiae ad nostra usque tempora.* Parat is quoque *Lexicon Bibliopolarum & Typographorum &c. ordine alphabetico, germanica lingua edendum, cuius hoc ipso anno titulum foras dedit.* Vtriusque instituti copiosa iam mentio facta est in *Excerptis Novellarum Coburgensibus* (Coburg. Zeitungs-Extract,) M. Dec. 1726. p. 297. sqq. Ab eodem viro præstantissimo hesternæ die accepi literas peramicas, d. 10. Jul. h. a. scriptas, quibus significat, LXX. iam *Icones Bibliopolarum & Typographorum, quos æri incidendos curaverit, editioni paratos esse, atque sperare se, fore, ut ad nundinas futuri anni vernaes sesquicenturia ab ipso colligatur, quorum quinquaginta semper Partem seorsum vendendam constituerent.*

TVBINGAE.

Summe Ven. GODOFREDVS HOFFMANNVS, S. Theol. D. eiusdemque in Acad. Tubing. P.P. Ord. Ecclesiæ Decanus, & Illustris Stipendii Theologici Superattendens, publici iuris fecit *Commentationem*
Synopti-

*Synopticam in Augustanam Confessionem, ceterosq;
Ecclesiae nostratis LL. Symbolicos, in usum stu-
diose iuventutis sic adornatam, ut, quae in libro
Concordiae hinc inde dispersa ad idem doctrinae
caput pertinent, monstrata simul Confessionis
Wirtembergicae harmonia, veluti in una sede
simul conspicienda lectori ob oculos sistantur, dif-
ficultates passim occurrentes expediantur, dubia,
quae moveri solent, resolvantur, atque ita ortho-
doxia Ecclesiae Evangelicae in aprico ponatur.*
Tubingæ, Sumptibus & Typis Iosephi Sig-
mundi, in 4t. Alph. II. plag. 4. Annus in ti-
tulo non est expressus. Dedicatio autem ad
Ducale Consistorium Wirtembergicum scri-
pta est prid. Non. Sept. M. DCCXXVI. qua-
driennio ante, quam

Confessio AVGVSTANA ante DV Centos
annos IMPERATORI exhibita est.

In præfatione fatetur Auctor Celeb. animum
sibi non fuisse, iustum atque integrum Com-
mentarium scribere in Symbola Ecclesiae no-
stræ, quod alios Viros doctos dudum feliciter
præstitisse, omnibus constet; sed id potissimum
negotium se sibi dedisse, ut ea, quæ de uno
eodemque doctrinae argumento passim di-
persa reperiuntur, uno veluti obtutu simul
conspicienda sisteret, textuique in locis ali-

quanto difficilioribus nonnihil lucis affunderet, atque ita lectionem libri Concordiæ Theologiæ consecraneis apprime necessariam maximeque utilem per hoc compendium faciliorem, & per enodationem dubiorum, quæ lectorem alias hinc inde remorari possunt, planiorem redderet, eademque simul opera ad Confessionem Wirtembergicam, peculiare illius Ecclesiæ Symbolum, tyrones manu quasi duceret, ut omnes eadem incedentes regula, idem cum Maioribus suis, a quibus inæstimabile hoc veritatis Evangelicæ depositum accepissent, & sentire & loqui mature adsuescerent, atque ita ad opus ministerii sacri sese magis magisque præparare continuo allaborarent.

LIPSIAE.

Præterito anno iam lucem adspexit Theologi longe celeb. V. E. LOESCHERI *Literator Celta, seu de excolenda literatura Europæa, Occidentali & Septentrionali consilium & conatus. Curante IOANNE AVGVSTINO EGENOLF.* Lipsiæ, Sumtibus Io. Christiani Martini, 1726. 8. pag. 8. & dimidia. Diligenter iam recensitum & commendatum est hoc opusculum in Actis Erud. Lips. Lat.

1727.

1727. p. 89. 1q. ubi & doctissimi Collectores non obliti sunt monere, adiectam esse p. 104. ineditam (uti cum Cl. Egenolfo persuasum habebant) quandam *Erasmi* Epistolam ad Iulium Pflugium, ex qua appareat, *Lutherum* omnino esse verum Autorem libelli *de nominibus Germanorum propriis*. Eius *αὐτόγραφον* ab Hedero se accepisse, dicit Egenolfus in præfatione, adiiciens, in illo Epistolarum *Erasmi* volumine, quod sibi esset, eam non reperiri, amicumque quandam suum Lipsiensem eandem quoque in Operibus *Erasmi* frustra quæsisse. Atvero fefellit virum doctissimū coniectura. Nuper enim admodum, cum *Erasmi Epistolarum opus*, in officina Frobeniana Basil. 1538. fol. excusum, aliud agens, volverem revolveremque, ea mihi sponte se obtulit, estque duodecima Libri XXVII. p. 1079. Neque vero non operæ pretium fecisse censendus est editor nuperus: cum enim, si pauca excipias verba græca, bene se habeant cetera, nescio tamen, quomodo ille ipse locus, cuius gratia excudi iussit Egenolfus epistolam, in editione Basileensi omissus sit. En illum: *Martini Lutheri vestri, quod addis, de Nominibus propriis Germanorum perplacet opusculum. Red-*

dam vicem, ut ait ille, meritis. Hæc verba cum, ut dixi, in edit. Basil. desiderentur, colligi hinc forte potest, iam tum dubitatum fuisse, an genuinus isthoc opusculum Lutheri foetus sit, illumque, qui ex *αὐτογράφῳ* Hederiano literas descripsit, dictum locum forsan expunxisse, aut eos, qui biennio post Erasmi obitum, meam Epistolarum eius editionem curarunt, epistolam hanc illa parte mancā habuisse ad manus. Substituatur verisimiliorem coniecturam, qui potest. Patet hinc, illam editionem huius libelli non primam esse, quam Placcium de Anonymis, n. 1459. adducere video, h. t. *Aliquot nomina propria Germanorum, ad priscam Etymologiam restituta per quendam Antiquitatis studiosum. Wittemb. 1537. 4t.* Nam Erasmus, qui illud se vidisse, hic testatur, iam A. 1536. obiit. Hunc ipsum Placcii locum excitat, additis illi Tenzelii Colloquiis A. 1698. p. 110. & Diecmanni Spec. Gloss. p. 39. Cl. Heumannus, cum huncce Lutheri libellum, quem haud invenustum vocat, allegaret in Pœcil. Tom. I. Lib. I. p. 56. Profert Placcius l. c. etiam aliam eius editionem, Helmæstadii 1673. 8v. proculam, hac inscriptione: *Aliquot Nomina propria Germanorum,*
ad

ad priscam Etymologiam restituta à Martino
Luthero, Theologo. Addit idem, in averſa ti-
tuli pagina hæc haberi: *Lectoribus St. Exem-
plum dedi vobis, ut plura & meliora faciatis.
Valete.* M. L. Prorſus mihi nullum ſuperest
dubium, quin hæc editio accurate impreſſa
ſit ad illam editionem, quam ſub eodem ti-
tulo, facta ibidem Lutheri eadem mentione,
& averſa pagina iisdem exhibitis verbis,
paginisque triginta quinque conſtantem,
Witebergæ typis exſcripſit Laurentius
Seuberlich, A. M. DC. XI. 8. Adiecit hanc
ipſam editionem Chriſtianus Becmannus
manuductioni ſuæ ad linguam latinam, ibi-
dem, eodemque anno, altera vice impreſſæ;
qui & in epiſt. dedic. Naumburgi 1609. Non.
Dec. exarata: *In fine, inquit, addidi Etyma
nominum aliquot priorum Germanorum à
MARTINO LUTHERO incomparabili Theologo
ad priſcas origines reſtituta— præſertim cum illud
Lutheri argumento meo huic diſſimile non ſit,
& à multis, quando nihil exemplarium amplius
ſuppeditat, vel autoris cauſa ſtudioſe expeta-
tur.* Hæc ille.


In eadem Vrbe Lipſienſi preli nuper car-
ceres evaſit M. Joh. Erhard Rappens/ des groſſen
ſen

sen Fürsten-Collegii zu Leipzig Collegiaten / und
 3. 3. Präpositi, wie auch der Philosophischen Fa-
 cultät daselbst / Assessorn, kleine Nachlese einiger/
 größten Theils noch ungedruckter / und sonder-
 lich zur Erläuterung der Reformation-Geschich-
 te nützlicher Urkunden. Erster Theil. 2c. Leipzig/
 ben Joh. Friederich Brauns / sel. Erben / 1727. 8.
 1. Alphab. 4. Bogen. Descripserunt proxime
 hoc documentorum utilissimorum volu-
 men, institutumque bonis omnibus com-
 mendarunt Viri doctissimi, quorum opera
 Acta Erudit. Germ. sermone Lipsiæ evul-
 gantur, P. CXXV. Sect. V. p. 370. — 375.
 Forte ipse in posterum cum auctore claris-
 simo, qui variis benevolentiae signis sibi me
 Lipsiæ devinxit, nonnulla lubens commu-
 nicabo, qui cum multis aliis exoptandum
 in primis esse, intelligo, ut profligeretur
 laude dignissimum propositum. Nunc id
 saltem addo, *Abrahamo ab Einsidel*, cuius
 vitam p. 65. sqq. coll. p. 391. sqq. breviter,
 sed docte enarrat Cl. Kappius, Io. Rivium,
 inscripsisse libros suos tres de Conscientia,
 Lipsiæ apud Nicol. Wolrab, An. 1541. 8.
 cum alio eiusdem libro editos, in singulorum
 librorum principio peculiari Abrahami ap-
 pellatione usum. Dedicationem Lipsiæ Kl.
 Iunii, An. M. D. XLI. scripsit, his exorsus

ver-

verbis: *Ioan. Rivius Attendoriensis, Nobili Clarissimoque Viro Abrahamo ab Einsidel, illustrissimi Saxoniae Ducis Hennerichi Consiliario S. D.* In ipsa Epistola ait: *Quod scriptum meum (de conscientia) tibi Vir amicissime, dicare visum est, cum ut aliquod ipse haberes amoris ac benevolentiae meae erga te monumentum, tum vero ut fratris tui liberis, quos ille habet optima indole praeditos & ingenuis artibus liberaliter institutos, hoc quasi manusculo gratificarer. Et quia eum te iam pridem novi, qui nihil facile sis contra iudicium conscientiae tuae factururus; propterea hosce de conscientia libellos Viro optimo & optime sibi conscio, haud absurde dicaturus videbar.* Quae hic de fratris Abrahami liberis Rivius memorat, optime illustrant ea, quae doctissimus Kappius l. c. p. 55. sqq. & p. 62. affert, ubi docet, fratrem eius Henricum ab Einsidel, praeter quinque filias, novem filios genuisse, qui magnum ipsi gaudium attulissent. Ceterum illo anno 1541. Rivium Henrici Saxoniae Ducis filium, Principem Augustum, bonis artibus ac disciplinis erudiisse, patet tum ex vita Rivii, a Ge. Fabricio scripta, Riviique Operibus praemissa, tum imprimis ex valde commemorabili illa Rivii ad Georgium à Schleinitz epistola,
Lipsiae

Lipsiæ eodem anno postridie KL. Aug. exarata, quæ reperitur sub finem libri Riviani citati. Confer C. F. Wilischii Incunabula Scholæ Annæbergensis p. 59. ubi vita Rivii Fabriciana, notis illustrata legitur. Ceterum p. 55. Cl. Kappius scribit, *Hauboldum ab Einsidel*, A. 1522. mortuum esse; at in Supplem. p. 390. A. 1525. diem obiisse tradit, addens ex Ge. Fabricii Sax. illust. L. IX. fol. 92. eum 1524. Misnæ fuisse, cum Benno Episc. in numerum Divorum referretur. Hoc ipsum ex Georgii Fabricii Annal. Urbis Misnæ ad h. a. p. m. 180. moniturus eram, antequam Supplem. Kappiana inspicerem, ad probandum, *Hauboldum* 1522. nondum ex vita migrasse. Nam Fabricius l. c. diserte scribit, missos tum esse Misnam ab Elect. Frid. III. GEORG. PONTANVM Iur. & FABIANVM FELICIVM & HVGOLDVM EINSIDELIVM Eq. conf. Seckend. Hist. Luth. in ind. v. Benno & Opp. Luth. Tom. II. Ien. Germ. f. 252. b sqq. In Orat. de GREGORIO PONTANO, à Vito Ortelio 1560. Witteb. hab. omittitur illa circumstantia. Obiter addo, Fabricium l. c. affirmare, L. G. Gyraldum Car. Milticio libellum de sepulchris inscripsisse, quod non omnino certum esse, ait Cel. D. Cyprianus in P. I. nützlicher Uhrfunden zur Reform. Geschichte p. 379. Denique observo, in hoc Cl. Kappii libro p. 79. lin. 8. pro 1574. (err. typ.) 1514. legendum esse.



VIRO
*Maxime Venerando , Excellentissimo
Eruditissimoque ,*

IOANNI IACOBO
PFIZERO,

Sacrarum Literarum Doctori ,
earundemque antehac in patria Aca-
demia Altorfina Professori Publico Ordi-
nario , & divinorum oraculorum
Præconi facundissimo ,

Iam in Perillustri Norimbergensium
Republica ad D. Ægidii Sacrorum Antistiti,
Gymnasiique contigui Inspectori
Gravissimo ,

*Viro rara pietate , solida eruditione
theologica , & insigni humanitate
maxime conspicuo ,*